

(a) *Cimon's talents; exploits of his first two generalships*

Tali modo Cimon celeriter ad principatum pervenit. Habebat enim satis eloquentiae, sumnam liberalitatem, magnam prudentiam cum iuris civilis tum rei militaris, quod cum patre a puer in exercitibus fuerat versatus. Itaque hic et populum urbanum in sua tenuit potestate et apud exercitum plurimum valuit auctoritate. Primum imperator apud flumen Strymona magnas copias Thraecum fugavit, oppidum Amphipolim constituit eoque decem milia Atheniensium in coloniam misit. Idem iterum imperator apud Mycalen Cypriorum et Phoenicum ducentarum navium classem devictam cepit eodemque die pari fortuna in terra usus est. Namque hostium navibus captis statim ex classe copias suas eduxit barbarorumque maximam vim uno concursu prostravit. Qua victoria magna praeda potitus cum domum reverteretur, quod iam nonnullae insulae propter acerbitatem imperii defecerant, bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coegit.

(NEPOS, *Cimon* 2)

Strymona = accusative case of Strymon

(b) *The aged Micon prepares to hand over his herd to Canthus*

Forte Micon senior Canthusque, Miconis alumnus,
 torrentem patula vitabant ilice solem,
 cum iuveni senior praecepta daturus alumno
 talia verba refert tremulis titubantia labris:
 "Quas errare vides inter dumeta capellas
 canaque lascivo concidere gramina morsu,
 Canthe puer, quos ecce greges a monte remotos
 cernis in aprico decerpere gramina campo,
 his tibi do senior iuveni pater: ipse tuendos
 accipe. Iam certe potes insudare labori,
 iam pro me gnava potes exercere iuventam.
 Adspicis ut nobis aetas iam mille querellas
 afferat et baculum premat inclinata senectus?
 Sed qua lege regas et amantes lustra capellas
 et melius pratis errantes mollibus agnas,
 percipe."

(CALPURNIUS SICULUS 5.1-16)

patulus = spreading

titubo = tremble, stumble

dumetum = thicket

capella = (she-) goat

decerpere = crop, browse on

insudo = sweat at

baculum = staff, stick

lustrum = rough or wooded country

(c) *The Syracusans should agree on their choice between an alliance with Rome and an alliance with Carthage*

In hac turbatione rerum in contionem vocari placuit. Ubi cum alii.
alio tenderent nec procul seditione res esset, Apollonides
principum unus orationem salutarem ut in tali tempore habuit:
nec spem salutis nec perniciem propriorem umquam civitati ulli
fuisse. Si enim uno animo omnes vel ad Romanos vel ad
Carthaginenses inclinent, nullius civitatis statum fortunatorem
ac beatorem fore; si alii alio trahant res, non inter Poenos
Romanosque bellum atrocius fore quam inter ipsos Syracusanos,
cum intra eosdem muros pars utraque suos exercitus, sua arma,
suos habitura sit duces. Itaque, ut idem omnes sentiant, summa vi
agendum esse. Utra societas sit utilior, eam longe mindrem ac
levioris momenti consultationem esse; sed tamen Hieronis potius
quam Hieronymi auctoritatem sequendam in sociis legendis, vel
quinquaginta annis feliciter expertam amicitiam nunc incognitae,
quondam infideli p[re]ferendam.

(LIVY 24.28.1-6)

(d) *Briseis, in a letter to Achilles, describes her sorrow at being taken from him and handed over to the king*

Quam legis, a rapta Briseide littera venit,
vix bene barbarica Graeca notata manu.
Quascumque adspicies, lacrimae fecere lituras;
sed tamen et lacrimae pondera vocis habent.
Si mihi pauca queri de te dominoque viroque
fas est, de domino pauca viroque querar.
Non, ego poscenti quod sum cito tradita regi,
culpa tua est – quamvis haec quoque culpa tua est;
nam simul Eurybates me Talthybiusque vocarunt,
Eurybati data sum Talthybioque comes.
Alter in alterius iactantes lumina vultum
quaerebant taciti, noster ubi esset amor.
At lacrimas sine fine dedi rupique capillos –
infelix iterum sum mihi visa capi!
Saepe ego decepto volui custode reverti,
sed, me qui timidam prenderet, hostis erat.
Si progressa forem, caperer ne nocte timebam,
quamlibet ad Priami munus itura nurum.
(OVID, *Heroïdes* 3.1-12, 15-20)

litura = blot, smudge

nurus = daughter-in-law